



Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.


Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>

1309

A

69



1309
A69

~~323-A.19~~

G A B I N I D E W A L
O R A T I O

D E

P H I L O S O P H I C A I U R I S D O C T R I N A ,
H A C N O S T R A A E T A T E M U L T I S
I N I U S T E C O N T E M T A ;

P U B L I C E D I C T A G R O N I N G A E D I B X X I D E C E M B R I S M D C C C X X V I ,

*QUANDO MAGISTRATUS ACADEMICI
MUNERE ABIRET.*

G R O N I N G A E , A P U D
I . O O M K E N S ,
Academiae Typographum

M D C C C X X V I I .



ACADEMIAE CURATORES, VIRI NOBILISSIMI, GRAVISSIMI!
QUI CURATORIBUS AB ACTIS ES, VIR SPECTATISSIME!
DOCTRINARUM QUARUMCUNQUE PROFESSORES, VIRI CLARISSIMI, COLLEGAB CONIUNCTISSIMI!
SACRI CODICIS INTERPRETES AC PRAECONES FACUNDISIMI!
QUARUMCUNQUE DISCIPLINARUM DOCTORES, CONSULTISSIMI, EXPERIENTISSIMI, ACUTISSIMI!
AUDITORES CUIUSCUNQUE ORDINIS AC LOCI, ACCEPTISSIMI, GRAVISSIMI!
VOS ETIAM IUVENES PRAESTANTISSIMI, QUI AD INGENII ET ERUDITIONIS LAUDEM CONTENDITIS, PATRIAE, PARENTUM ET PRAECEPTORUM SPES ATQUE EXSPECTATIO.



Saepius, quando Oratorem Academicum rostra conseruentem intuebar, memorem cogitare coepi de provinciae suae difficultate. Oportet enim eum dicendi argumentum sumere, quod neque alienum est a disciplina, ad quam iuventutem instituit; neque, ad popularem intelligentiam minus accommodatum, aegre tantum mente capiatur ab iis, qui diversis studiis sunt dediti. Quam expeditum sit iphi in audientium reprehensionem incurrere, neminem fugit. Si enim tale quid eligat, quod captu facile, auribus non ingratum, neque ab omni venustate defitatum, iis placeat, qui hospites sunt in disciplina, dicenti pae-

aliis culta; si hanc disciplinam efferat ab utilitatibus, quas praebet; si disputet de vinculo, quo aliis doctrinis coniungitur; si eius historiam adumbret vel inde partem aliquam sibi sumat; si primarium quendam eius cultorem laudet, ut aliis sit exemplo; si, inquam, tale quid eligat, forte probabitur in vulgo eruditorum hominum et plausus illi impertientur ab omnibus, quibus laetum accedit, orationem ipfis auditam non tantum esse, verum etiam intellectam. Severins autem illi iudicabunt, qui, rerum peritiores, ea magis appetunt, quorum altior est indagatio. Hi igitur dolebunt non ex intimis doctrinae recesibus ac veluti latebris repetitum esse disputationis argumentum, unde monstrat Orator, quid in disciplina sua valeat; indignabuntur, e suggestu academico, lectissimae doctorum virorum corona, ea proferri, quae vel in compitis audiantur, vel non arguant cumulatiorem dicentis eruditionem. — Hanc provinciae molestiam non tantum experintur, qui Theologiam, Medicinam, Philosophiam, Mathematicam, Physicam, aliamve similem doctrinam profitentur, verum ea Iureconsultos etiam afficit. Quando autem eam cogitatione complectebar, de eligendo concionis argumento occupatus, maxime me commotum sensi, cum persuasissimum haberem, multos fore, five iidem studii generi deditos, five aliud exercentes, quibus illud non posset non displicere. At vero commotionem animi tantum sensi, non vero demissionem. Audaciam non quidem excitavit virium mearum fiducia, ac si ad subterfugienda pericula habilius mihi eset ingenium! Imo longe alia fuit tranquillitatis causa! Ex eo enim, quod de personae, quam nunc sustineo, difficultate, mihi ipsi perspectissima, Auditores ante commonui, confido, paratiorem fore humanitatem eorum ac benevolentiam, qua ut dicentem prosequantur, omnes obtestor atque obsecro.

Magistratu igitur annuo me abdicaturus, ut mori recepto satisfaciā, verba facere constitui *de Philosophica Iuris Doctrina, hac nostra aetate multis iniuste contemta.* Accipite A. A. quare hoc argumentum mihi placuerit. Ipse ille annus, quo Rectoris munus capessivi, ducentesimus erat ab eo, quo summus inter nostrates vir, HUGO GROTIUS, disciplinae figuram Iuri Naturali impo-
suit, notionem iuris accurate exponendo, eius veritatem arguendo, eius prin-
cipium indagando, eius primarias positiones explicando et tandem disciplinae,
ita exstructae, aliarumque, ipsi vicinarum, varietates distinguendo. Haec cogi-
tatione complexus, eo sponte ferebar, ut quae eius fata per duo saecula fuerint,
memoria repeterem et in causas eorum, quae prospera illi, quaeque adversa ac-

ciderunt, mentem defigerem: Reminiscebar ipfi, per omne tempus illud; neque cultores ac laudatores, neque reprehensores atque inimicos defuisse, illos interdum nimios atque immoderatos, hos saepius vehementes atque iracundos. In eo quidem nostra aetas distat ab antiquiori, quod, qui Philosophicam Iuris Doctrinam vituperatione reprehendunt, ab opprobriis quidem et contumeliis sese abstineant, quibus olim et ipsa disciplina et eius doctores maligne petebantur; at in eo certa utraque convenit, quod aequae multi sint, qui eam odio habeant totamque reiectam velint, quiique eius cultores vel despiciant, vel nescio qua miseratione prosequantur. Huius contemptus causas, quas alii dissimulant, alii apertius profitentur, investigare, eiusque rationes suo momento ponderare, et ab hoc loco, et a mea persona non alienum existimavi. Quid enim germanae iuris prudentiae cultori magis convenit, quam disciplinae, immerto vituperatae, molestias abstergere ac dignitatem restituere? Exemplo mihi sunt e popularibus nostris Iuris Doctores bene multi, qui timentes, ne Romani Iuris studio, omnibus iusto pretio non aestimato, detrimentum aliquando importaretur, eius causam fortiter egerunt. Quid, quaeso, philosophicae iuris doctrinae cultorem retinebit, quin horum agendi rationem sequatur et disciplinam suam defendat? Servata igitur, quae ingenuos omnes decet doctrinarum studiosos, animi moderatione, at simul ea usus dicendi libertate, sine qua nulla est veritatis disceptatio, sic argumentum tractabo, ut non singulorum iuris doctorum opiniones separatim exponam, sed universe dicam de sententiis eorum, qui philosophicae iuris doctrinae sese opposuerint; quoniam animus mihi non est hunc illumine oratione mea petere, sed disciplinae dignitatem tueri. Res autem meas ita agam, ut primum dicam de contemptus causis et occasionibus; dein rationes exponam, quibus utuntur adversarii earumque levitatem, ut ita Philosophicam Iuris Doctrinam ab iniusta despectione vindicem. Vos, A. A. dicenti faveatis!

Uti omnia in hoc orbe, ita etiam doctrinarum studia, fortunae vicisitudines experiuntur. Experta fuit inter primas Philosophica Iuris Doctrina. Postquam enim G R O T I U S eam exornaverat, suis, uti monai, nunquam cultoribus, nunquam etiam obtrectatoribus caruit. Horum numero, per omne tempus, insignes fuerunt, qui in illustrando Iure Romano omnem operam collocantes, huius studio nulla non mala ab exculto iure naturali metuebant. Hoc mirum videri poterit, A. A. si quidem ipsum illud Ius Romanum, longe maximam partem, a ratione, non ab arbitrio, profectum, philosophiae est plenisimum,

atque ideo illud cum philosophica iuris doctrina in multis amice conspirare atque inde illustrari oporteat. Licet profecto inter Iuris Romani patronos multi fuerint angusti homines, qui adversus ea declamaverint, quae ignorabant, nil aliud timentes, quam ne sua, qua pollebant, doctrina vel dignitate immi- nueretur vel cultorum numero, caveamus tamen, ne metum illum, fine ulla ratione illatum dicamus. Fatendum enim est, philosophiae studium Iuri Romano omnino nocuisse. Fuerunt enim e recentioribus, qui suam philosophiam in Ius Romanum intulerint; qui notiones, priscis incognitas, ipsis velut invi- tis obtruserint, quique, ut probarent, suam sapientiam eandem esse, quae olim fuit veterum Iureconsultorum, horum loca ita per interpretationem contorserint, ut tota cum novis philosophorum placitis essent consentanea, ab intelligentia vero sensuque auctorum suorum quam longissime abhorrent. Talem per iuris philosophiam ius civile illustrandi, vel potius corrumpendi, morem, hodie frequentiorem, quam quidem antea, merito metuisse ac respuisse ingenuos Iuris Romani cultores, inter peritos rerum arbitros nemo unus ibit inficies. Praeterea inter philosophiae iuris studiosos fuerunt, qui parum moderate res suas agentes, interdum alios facto suo excitaverint, ut in ipsos inveherent. De obtrectatorum enim calumniis ut plenius triumpharent, non tantum disciplinam suam ultra modum extulerunt, verum etiam, infinita utriusque doctrinae com- paratione, iuris Romani laudibus, quantum poterant, detrahere studuerunt. De iure igitur illo multa effutiverunt, partim facta aperie, partim exaggerata. To- tum illud Ius rudem indigestaque molem dixerunt, e partibus longe diversis et male cohaerentibus conflatam, fine ordine delectuque dispositam, contrariis sen- tentiis repletam, incertam, ne sagacissimis quidem eius cultoribus penitus intel- lectam, aliaque multa eiusdem soavitatis. Suam autem disciplinam, ab ipsa ra- tione, omnis veritatis fonte, oriundam, excellentissimam praedicaverunt du- biisque vacuam, utpote cuius doctrinae singulares, e certis principiis iusta argu- mentatione, ad Mathematicam rationem proxime accedente, derivantur. Hanc in Iuris constituti locum suffectam voluerunt, ut iudicantibus esset norma, se- cundum quam lites inter cives dirimerent. His utinam Iuris Romani fautores non aliter obviam ivissent, nisi civilis sapientiae dignitatem et utilitatem stre- nue tuendo et monstrando, quantum praefbet confiteri potius nescire, quae nesciuntur, quam proferre, quae temeritatem produnt causamque suam male defendere. At quod in aliis reprehendebant ipsi admirerunt, et, ad honorem

Iuri Romano conservandum, non tantum adversariorum calumniam obtriverrunt et contuderunt, verum ipsam disciplinam, cui erant infesti, iisdem telis petiverunt, quibus alios contendisse indigne tulerant. Hinc enata inter utriusque doctrinae cultores animorum contentio, qui, velut pars parti opposita, pro cuiusque dignitate, sine ulla fere intermissione, pugnaciter certaverunt. O, quantum satius fuiset meminisse e veteribus MARCUM CICERONEM, SEXTUM POMPONIUM, MUCIUM SCAEVOLAM, LABEONEM, MARCIANUM, PAPINIANUM aliosque principes Iureconsultorum, utriusque iuris praeceptis mentem imbutum habuisse, eoque gloriam non interitaram sibi comparasse! Quantum satius fuiset, si moderationum atque optimorum Iureconsultorum vestigia sequuti, probavissent, utrumque ius, naturale et civile, suis dotibus esse commendabile suaque utilitate insigne, et ingenuum quemque iureconsultum fine rubore alterutrum non ignorare, vel mediocriter tantum cognitum habere! Quantum satius fuiset si GROTIUS, ULRICUS HUBERUS, NOODTIUS, SCHULTINGIUS, BYNKHESHOEKIUS, ELIAS LUSACIUS, et, qui recentiorem actatem illustraverunt, CRASSUS et KEMPERUS, si gravissimi et acutissimi quique etiam inter extraneos Iureconsulti, iuris naturalis ac civilis scientia aequa conspicui, omnibus fuisser exempla! Tunc certe de diversarum scholarum aseccis mentio non fuisset iniecta, neque genuini praeceptoris alicuius clarioris discipuli ab aliis distincti fuisser et separati; tunc non opprobriis et calumnis quaque adversarios laceravisset; sed una omnibus culta fuisset doctrina, per partes suas quidem divisa, quarum vero nonnullae multis vel spretae non fuisser, vel etiam penitus neglectae. — Ne vero putatis A. A. omnes, qui in unam quamdam Iureconsultorum scholam sese coniecerunt, imprimis civilis sapientiae studiosos, bene convenisse. Ut enim eos, qui mentem in iuris philosophia exercebant, summa in sententiis varietas secernebat, ita eos, qui ad iuris civilis scientiam sese applicabant, non tantum segregabat similis in opinionibus differentia; verum inter eos etiam erat controversia de confilio, deque via ac ratione, qua tractandum sit ius Romanum. Ante tempus enim illud, quo clarissima iuris prudentiae lumina, ANDREAS ALCIATUS, IACOBUS GUIACIUS, VIGLIUS AB AYTTA, HUGO DONELLUS, aliquique viri excellentioris doctrinae, Romani iuris monumenta ex Historia et Antiquitate illustraverunt, omnibus recepta erat diffusa commentandi ratio, quam MARTOLUM, facculi quartidecimi iuris interpretem, auctorem habere ferunt, in eo imprimis occupata, ut omnis dis-

crepantia inter contraria iuris loca dividendo et distinguendo tolleretur; utque una esset sibiique constans iuris doctrina, ad usum apta et accommodata. Iam ipsi iuris Romani doctores in partes oppositas abierunt. Altera voluit, ius illud, tanquam veteris aevi monumentum longe pretiosissimum, illuminataeque sapientiae testimonium, suae tantum praestantiae causa excoli atque illustrari. Altera ideo tantum in illud operam impendendam esse voluit, ut usui forensi inserviret causisque orandis ac iudicandis normam praeberet ac regulam. Non quidem negaverunt omnes, qui ad hanc pertinebant, elegantioris humanitatis cultum iurisprudentiae commodis consuuisse, causas legum enucleando, errores expungendo, depravata corrigendo. At simul perhibuerunt, longe alium finem Themidis alumnis esse propositum, quam veterum Iureconsultorum locis sanitatem restituere, et e fatis, moribus, institutis et lingua Romanorum, iurisprudentiae decus, ornatum, imo lucem afferre. Ad accuratam enim absolutamque iuris scientiam enitendum esse existimaverunt, ut, qui ad causas ci-vium dicendas se accingerent, quique ad litos dirimendas et ius suum cuique tribuendum vocarentur, habiles essent et idonei, iurisque principiis ad ne-gotia inter homines accommodandis imprimis exercitati. Eos, qui flores sectabantur, ubi fructus erant legendi, utut cumulatae eruditio[n]is laude florentes, utut ingenii divitiis aucti, ad res tamen gerendas parum aptos, imo magnas inter opes inopes et egenos esse censuerunt. Haec posterior iuris tractandi ratio, quae *practica* dici solet, magna rerum indicatarum mole onerata magis, quam ornata, haec, inquam, iam olim vicit per Galliam et longe maiorem Germaniae partem. Prius vero in Belgio paucisque Germaniae tractibus diutissime stetit, donec tandem locum cedere fuerit coacta et elegantius iurisprudentiae studium, si quidem non penitus emortuum, certe languescens et moribundum videretur. — Per omne tempus non quidem defuerunt, qui de ultraque ratio-ne coniungenda monuerint, imo hoc nomine non exiguum laudem fibi compara-verint. At hoc ipsum temperamentum fecit, ut literarium et historicum iuris studium paulatim negligeretur, imo tandem desertum iaceret. Quos enim hoc studii genus delectabat, ii, si quidem amabant discipulorum frequentiam, cogebantur ad practicam docendi rationem sese accommodare, atque ea potissimum explicare iuris capita, quae usu adhuc valebant, omittere autem vel leviter attin gere, quae Romanis erant propria, ab aevi recentioris moribus aliena, etiam ius publicum civitatis Romanae. Quin hic rerum eventus elegantiori iuris studio

ad interitum fuerit fatalis, nemo unus dubitare poterit et res ipsa monstrat. Per annos enim fere triginta, qui saeculum, quo vivimus, proxime praeesserunt, vix ullum extitit iurisprudentiae elegantioris specimen, quod iis posit comparari, quae dederat aetas antiquior. — Ad hanc ita neglecti Iuris Romani causam accedebat alia, in eo posita, quod iura patriae originis, sive medii, quod vocant, aevi tempore condita, sive etiam serius recepta, olim parcius exculta, iam multorum diligentiam occupabant, quodque ea, quae usu etiamnum valebant, una cum causarum agendarum ratione, in iudiciis observata, iam publicis lectionibus exponebantur, quo factum fuit, ut multorum animi a Iure Romano fuerint avocati, quatenus illud iuri, tunc temporis usu vigenti, non cohaereret.

Ita res sese habebant; quando, versus saeculi proxime elapsi finem, duae res acciderunt, inter primas memorabiles, quibus factum, ut multi ad iuris philosophiam se converterint. Altera, eaque longe gravissima, est ingens illa, quam Gallia sicut experta, rerum publicarum conversio. Tunc enim ex umbaculis eruditorum in solem producta philosophica iuris doctrina, et, quae tantum in scholarum silentio disceptari solebant de iure hominum ac civitatum quaestiones, iam in publicis ac celeberrimis legislatorum consesibus agitatae fuerunt, et, audientibus omnibus, populari trutina examinatae. Quantum fecerit ea tempestate, animorum aestus atque agitatio, ut philosophia iuris multos voluptate sua blandiretur, vix tamen inde detrimentum accepisset Iuris Romani studium. Disciplinae enim, quaecunque illae sint, rite non excoluntur, nisi ab iis, qui sunt mentis tranquillae, turbarum civilium fluctibus non commotae. Iuris igitur philosophia, si quidem non alias nacta fuisset amatores, nisi quos urgebat negotiorum publicorum ardor, cum multis quidem communicata fuisset et latius patuisset, at doctorum virorum diligentiam a Iure Romano alieniorem non fecisset. Hoc vero accedit, quando Philosophiae Iuris principia ac fundamenta accuratius indagata et certius constituta fuerunt. Causam attulit alterum illud factum, de quo modo dicebam, nova scilicet philosophorum schola, quae, et discipulorum frequentia, et vi atque efficacitate, quam in omne doctrinarum genus exercuit, prorsus fuit insignis. Etenim non longe ante tempus illud, quo accedit in Gallia rerum conversio, condita fuit Critica philosophorum schola, medium locum Dogmaticam inter et Scepticam tenens, inde nomen repetens, quod velit, ante omnem doctrinam philosophicam exposi-

tionem, summa cernendi prudentia et iudicandi severitate disquirendum esse, quaenam sint prima omnis cognitionis elementa, quaeque eius acquirendae leges. Haec schola, primum occupata in mentis humanae contemplatione, dein etiam de liberis hominum actionibus secundum rationis normam regendis disputationem instituit, ita ut non potuerit, quin eius placita, uti in alias disciplinas, ita etiam in iurisprudentiam fuerint illata. Haec autem non ita pertinuerunt ad omnium partium momenta, neque ad singulares iuris doctrinas, verum ad ultimam earum stirpem summumque principium, ita ut de proprio disciplinae fundamento et de limitibus quibus ab aliis separatur, certius quam antea constiterit. Iam Philosophica Iuris doctrina, praे omni alia, hominum animos fibi conciliavit et devinxit, si quidem, cum quae nova moliebatur schola, eruditos alliciebant, tum vero manifestus philosophicae iuris doctrinae tunc temporis effectus in res civitatum publicas monstravit, quam gravissima fit ac ponderis plena. Ita multos, iuncto velut agmine, ad philosophorum castra provolare, aegre ferebant omnes, quibus Ius Romanum curae erat cordique. Imo iustum horum indignationem atque odium excitabant e philosophis nonnulli, qui suam doctrinam eo magis efferre fibi videbantur, quo maiori contemtu in Iuris Romani fautores invehebant, meris tantum argutiis et inutilibus lucubrationibus, ut putabant, delectatos. Iam ultra modum augeri inter utriusque studii fautores contentio, ita ut animos pacare et concordiam restituere moderatores frustra tentaverint. — Neque mox a solis philosophis damnum iis fuit metuendum, quibus Ius civile erat in honore. Per multos enim Europæ regiones, novi legum civilium codices, patrio cuiusque sermone conscripti, primum exspectati et parati, tandem vero recepti et promulgati fuerunt, sublata omni Iuris Romani auctoritate, cuius interitum nonnulli augurabantur, veram eius praestantiam, nullo temporis lapsu delendam, suo pretio aestimare nescientes. Iam, qui hoc Ius tuebantur, a veteri splendoris fastigio iam deiectum, ultro citroque agitati, presuli, coacti, numero tandem imminuti et macerati, tantum de re sua non desperaverunt, sed difficultatem et vicem fortiter sustinentes, periculum perraperebant. — At vero non adversus omnes, qui ipsis erant inimici, aequali successu fuit certatum. Philosophi non ita adversariorum telis, quam quidem ipsis rerum temporumque rationibus cedere coacti fuerunt. Postquam enim rerum publicarum procellae et tempestates abierant, deferbuit ardor de hominum civitatumque iure ex rationis principiis publice disputandi. Imo quae turbas, per Gal-

liam agitatas, excepit tristis et severa unius potentissimi dominatio, omnem proscriptipit philosophiam, eam imprimis, quae in iure tractando versatur. In Germania vero iuxta Criticam scholam alia adolevit, frequenti consortione celebrata, quae nomen a Natura sumens, praecepta sua, non ab exulta ratione, sed ex animi sensu, sive clariore illo, sive etiam obscuriore, derivat, ita ut nudam veritatem mentis acie intueri hominibus non permittat, sed tantum nebulis nimbusque offusam. Haec philosophia maiores partes sensibus et ingenio tribuens, quam iudiciorum severitati, poetis in primis grata, iisque etiam accepta, quibus Rationis nomen et imperium erant in odio, iureconsultis placuisse non videtur, studium ad illam rarius conferentibus, ita ut insignis eius non fuerit in iurisprudentiam vis et effectus. Mox tempora consequuta sunt, quibus, minuente animorum vertigine, philosophiae cupiditas tota languescere ardorque mentium ad veritatem deficere coepit. Horum eventum ac fortunam experta quoque fuit Philosophica Iuris Doctrina, ita ut neglecta paene fuerit et in contemptum adducta. Longe vero abest, ut afflictam disciplinae conditionem maiori fortitudini et ingenii exsuperantiae in adversariis tribuamus, sed potius rerum vicisitudini et temporum inclinationibus.

Haec dum Iuris Philosophiae accidebant, novis legum civilium codicibus conficiendis, uno velut agmine, restiterunt Iuris Romani cultores, tum qui elegantiori eius studio delectabantur, tum qui forensem sequebantur utilitatem. Hi antiqua servari voluerunt, ne gloria evanesceret, multis laboribus ac vigiliis ipsis quae sita, magnam partem accuratae iuris Romani scientiae debita. Illi vero, qui populis nostrae aetatis eadem via ad perfectiorem iurisprudentiam progredendum esse censuere, qua olim incesserunt Romani, codices a legislatore iusdos ac promulgatos quam maxime improbaverunt, quippe qui volebant, omne ius e moribus et consuetudine sponte enasci oportere, lege tantum confirmandum et corrigendum, uti olim apud Quirites Praetoris Edictum iuris scripti auctoritatem tuebatur illique supplebat. Ius igitur, quo nunc quisque populus utitur, ipsi edicti instar servandum esse suaserunt, secundum temporum rationes morumque et opinionum migrationes flectendum ac temperandum; interim historico iuris studio ingenia esse conformanda, ut ex iis, quae olim facta sunt, exemplum sibi sumant recentioris aevi iureconsulti. A proposito meo alienum est de huius consilii meritis disputare. Illud unum profiteri mihi liceat, me perspectum non habere, quare eadem illa via, qua ad perfectiorem iurisprudentiam pro-

gresfi sunt Romani, recentioribus quoque populis servanda sit, qui certe omnes non eadem observantia Decemviros suos coluerunt, qua olim Romani, neque legibus antiquatis ita pertinaciter adhaeserunt, atque illi duodecim suis tabulis, quae propter antiquam severitatem et mutatum populi ingenium sero demum temperatae fuerunt atque emollitiae, partim quidem moribus, et, probante populo, per Praetoris edictum, partim etiam legibus diserte latis. Profiteri mihi liceat, me prorsus fugere, quare non ex iis, quae, cum ipsa ratio, tum multorum temporum usus, docuit de fine civitati proposito, de legibus ad illum prudenter accommodandis et cuiusque civitatis rationibus convenienter adaptandis, de iuris constituendi principiis ac praexceptis, ea feligere et in unum legum civilium codicem conferre, quae optima sunt et praestantisima, ut ius certum constituantur ac lege descriptum, neque totum pendeat a iudicatum arbitrio, diverso saepius ac mutabili, vel ab eorum de mutatis moribus opinione, quorum migratio tarde admodum fieri solet, non repente, ita ut difficillimum sit decernere, si illud in disputationem veniat, an ius per mores iam mutatum sit habendum, num vero minus. — Igitur, qui Ius Romanum colebant, plerique novos legum civilium codices, patrio sermone scriptos, aversabantur, et ad veterum legum conservationem vires communiter intendebant. Neque successu caruit cum adversariis conflictio, cum novi legum civilium libri rarius sint conditi, criminalium vero longe frequentius, ita ut nulla fere sit per cultiorem Europam civitas, quae tales vel non habeat, vel non exspectet, antiquum tamen ius civile plurimum conservans. Quod vero Iuris Romani dignitatem et cultum magnopere restituit, est historica de iure illo disquisitio a Iureconsultis per Germaniam tentata, iam eo tempore, quo Ius Romanum ab omni non modo fortuna, sed etiam spe, derelictum videbatur. Hoc autem studium ita feliciter et prospere cesit, ut brevi recens Historicorum schola discipulorum pariter ac laborum frequentia et praestantia illustris, magno ingenuae eruditionis emolumento, per Belgium, Galliam, aliasque etiam regiones fuerit propagata. Quam fausto autem fidere instaurata fuerit Ius Romanum e veteris aevi monumentis illustrandi ratio, cui Iureconsulti in patria nostra olim insignem gloriae partem debuerunt, argumento sunt e bibliothecarum tenebris eruta non tantum praeclera antiqui iuris fragmenta, sed integri quoque ac praestantissimi commentarii, antea latentes et ignoti, unde nova lux veteri Romanorum iurisprudentiae affulxit. Vellem hisce divitiarum thesauris auota et velut tropaeis

ornata historicorum iureconsultorum familia, quanto superior erat, tanto submissius se gesisset, neque, ultra modum superbiens, inter socios tulisset, qui, sublatis ad frontem superciliis, Philosophicam Iuris Doctrinam, iam prisca celebritate carentem, nullo honore habuerint, imo despicerint, vel saltem nulla esse eius in res hominum ac civitatum merita, temere nimis pronuntiaverint. Auscultaverunt iis et assenserunt bene multi, ita ut inutile videri nequeat, eorum rationes ponderare. — At plures surgere mihi videor, qui me calumniae, ad auditores allatae, accusent, libros manibus ferentes, a iureconsultis, quos impugnare mihi est animus, de iure naturali scriptos et in publicum editos! Sed pace vestra, caveatis, quaeso, ne librorum tituli vobis fraudem faciant! Quod enim Iuris Naturalis nomen praetendunt, hoc ipsum arguit, quam perditam, profligatam, imo exanimatam habeant Philosophicam Iuris Doctrinam, cum nomen, quo plerisque internoscitur ab aliis disciplinis, tanquam rem, pro derelicto habitam, occupaverint et doctrinae longe diversae imposuerint! Putatis iuris Philosophiam eorum libris describi, ab hominis ratione derivatam, quae fuit olim CICERONIS, quae GROTI, quae plerorumque acutissimorum hominum omnis aetatis. Imo vero longe aliam rem tractant, nempe philosophiam iuris, in civitatibus per usum ac legem constituti, quod appellare amant *ius naturale*. Subsistit autem in legum pvestigatione, quatenus cohaerent populorum indoli, ingenio, cultui, moribus, religioni, virtus comparandi modo, terrae, quam habitant, coelo, in quo vivunt, aliisque similibus. Non quidem, A. A. huius disciplinae, ad quam eruditorum animos primus adiunxit MONTESQUIEVUS, quem sequuti inter alios FILANGIERIUS et BENTHAMUS, non, inquam, eius praestantiae atque utilitati vel minimum detractum velim, si tantum non locum occupet Philosophicae Iuris Doctrinae, ex internis hominis principiis derivatae, cuius ope et auxilio ipsa, sine insigni detimento, non carebit. Igitur calumniae accusationi satis respondisse mihi videor, et Philosophicae Iuris Doctrinae, quae vero nomine ita dicitur, a multis, qui scholae Historicae se addictos profitentur, negligi atque contemni, res habeatur verisima!

Novistis A. A. causas simultatis multis susceptae, qui iuris Philosophiam habent in odio, quarum enarratio me diutius exercuit, ita ut de eorum rationibus breviter tantum disputare necesse sit. Antequam illud agam, dicenti liceat orationem paululum intermittere.

(*Musica auditur.*)

Qui Philosophicam Iuris Doctrinam contemnunt, A. A. non iisdem rationibus moventur, neque omnes inter se consentiunt. Argumenta tamen, caeteris graviora, quibus utuntur plerique, ad duplex genus possunt referri. Vel enim perhibent, nullum esse ius, quod a natura proficiscatur, utpote quod totum ex hominum voluntati originem ducat; vel tuentur, nullam esse utilitatem eius disciplinae, quae versatur in Iure exponendo, si quidem e ratione posit de rivari.

Dicunt, nullum esse ius a natura, sed illud totum nasci ex hominum voluntate. Novistis, A. A. iam olim fuisse inter scholae Alexandrinae philosophos, eandem doctrinam profesos, et fuisse etiam tempore illo, quod CROTI aetatem a nostra sciungit; at vero simil novistis, quam fortiter huius disputationis cornua commoverint multi viri acutioris ingenii, dignitatem rationis humanae iurisque veritatem et sanctitatem ab omni dubitatione liberantes. Horum rationes si vellem vobiscum recognoscere, A. A. diem dicendo consumerem. Non igitur in memoriam revocabo, quae iam olim iis fuerunt oppofita, qui negabant, vim rationis per omnes homines esse diffusam, eamque immutabilem esse et sempiternam, qui vero leviter statuebant de eo, quid verum sit, quid bonum, quid iustum, quid falsum, quid turpe, quid iniustum, cuique suum esse indicium suamque intelligentiam, ita ut quis temere efficeret eandem quoque persuasio nem menti aliordm inhaerere. Non revocabo, quodnam responsum tulerint ii, qui putabant, iuris ignorantiam, quae in rudibus et incultis populis conspi citur, luce clarius arguere, mera esse figmenta, quae de naturali iure inter homines feruntur. Haec missa facio et operam tantum collocabo in refutandi rationibus, quibus aevi nostri iureconsulti utuntur, si quidem rationes afferant. Sunt enim eorum numero, qui rem ita perspicuam ac manifestam putant, ut argumentatione non indigeat, quia iuris e ratione oriundi veritas a nemine ullo inter philosophos evidenter probata ipsis videtur; quapropter nil aliud dicunt, nisi de iure illo non confitare, illud in disputationem venire non posse, illud temere defendi, et quae his sunt similia. At vero hi ipsis rationem agnoscunt eiusque imperium; loquuntur enim de lege morali, hominum animis insita, ad recte faciendum impellente. An igitur volunt, rationem illam liberas hominum actiones tantum regere, quatenus ad voluntatis cum lege convenientiam referuntur, atque unice ad agendi incitamenta respicere; minime vero eas curare, quantum pertinent ad hominum societatem et communionem, quae fo-

lis honesti principiis ac regulis conservari nequit et sustineri? An hoc satis consonum putatis A. A.? Evidem adduci non possum, ut illud credam, et si- ne repugnantia cogitari non posse mihi videtur, rationem, cuius natura tota in unitate et consensu est posita, liberas hominum actiones ita tantum re- gere, ut secundum virtutis legem suscipienda sint vel omittenda; at vero de iis, ad hominum convictum relatis, non esse sollicitam, ideoque fato atque arbitrio committere, an actiones illae ordini, in hominum communione externe servando, convenient, num vero repugnant. Hoc non pati- tur rationis natura, omnem inter homines rerum ordinem ac necessitudinem le- ge sua regens!

Licet vero plerique iuris veritatem simpliciter negent, sunt tamen, qui ra- tiones afferant. Dicunt enim Ius Naturale esse illud ius, quod valet in statu naturali, iam vero quia in tali statu homines nunquam vixerunt, efficiunt, necesse esse, ipsum etiam illud ius vanum esse et inane, magisque laeto Poe- tarum ingenio, quam severae Philosophorum disquisitioni, originem debere. Haec argumentatio multum proficit, non quidem, quod volunt adversarii, ad evertendam iuris naturalis veritatem, sed ut inde discamus, quantum neglecta in verbis et notionibus accuratio rerum cognitioni posit nocere! Fuerunt cer- te inter Iureconsultos Philosophos, ante nostram aetatem, qui adeo angustam dederint disciplinae definitionem, eam vero falsam et plerisque recentioribus reiectam. Quamvis igitur verum eset, qua de re, a nostra disputatione prorsus aliena, dissentient multi, etiam historiarum peritisimi viri, quamvis, inquam, verum eset, homines nunquam in ullo alio statu vixisse, quam in uno civili, inde tamen vel minimum pateret, fictum quid atque a Philoso- phis excogitatum esse Ius Naturale, utpote quod non tantum in statu, qui dicitur, naturali vim habet et auctoritatem, verum etiam in omni alio, etiam civili, quatenus illi per conventiones ac leges nil additum fuerit vel de- tractum.

Evidem nescio, an ipsi perspiciant adversarii, quam leve sit argumentum, quod refutavi, quoniam illud non magnopere urgent; at novi, aliud esse, quod rem prorsus evincere sibi persuadent. Etenim ad naturam iuris omnino pertinere affirmant, et recte, ut illud adversus laefiones aliorum, etiam per vim, posset defendi. Cum vero defendendi facultas non adfit extra civitatem, inde efficiunt, extra civitatem nullum etiam esse ius, ideoque omne ius e ci-

vitate denum enasci. Hoc certe egregiam habet veri speciem. Res enim est manifesta, civitatem unicum esse inter homines institutum, quod iuri sanctiōnem posse adiungere satis efficacem. Videamus tamen, A. A. de re dubitare et scrupulus aliquis vobis residet. Causa mihi non latet. Vobis enim liquido non appetet, quo modo ipsa rei alicuius veritas, e ratione derivanda, posita sit in alia re, quae tota pendet a rerum ac locorum natura, a diversa hominum conditiōne aliisque momentis. Non intelligitis, quo modo ex eo, quod citra civitatem cuique vires non sunt, iuri suo tutando sufficiētes, argui posse, nemini ius a ratione esse concessum. Non perspicitis, quomodo ab externis rerum tempofumque rationibus, argumentatione probabili concludi posse, aeternam rationem, unam sibi in omnibus constantem, aliquid concedere vel denegare. Putatis aliud esse hominis ius, nempe facultatem a ratione derivatam, aliud vero virium in homine copiam, qua ius ab omni laefione tueatur, et illud non interire, si hoc forte deficiat. Meliora vident, qui in Iuris Philosophiam invehunt vestramque dolent mentis caecitatem! Si quidem hos quaeramus, quid de liberis gentibus dicant, iuxta alias gentes hunc terrarum orbem habitantibus et in eadem conditione positis, qua singuli homines, civitatis vinculo non coniuncti, an hisce hominum consociationibus non etiam iura sint, quia non omnibus vires in promptu sunt, quibus ea ab aliorum violentia defendant? Nonnullis aquam haerere videamus, titubanter respondentibus, quoniam sentiunt difficultatem, qua se expedire nequeunt. Alii in sententia audacter perseverant negantque ius inter gentes a ratione obtinere. Utinam hanc doctrinam non ignoravissent populi et populorum rectores, quotquot unquam, nullo facto lacesisti, in vicinos irruere, praedari, latrocinari maluerunt! Hi enim, (tanta iis veri erat infiditia), ne imprudentissimi et ferocissimi existimarentur, facinora sua vel necessitatis specie defendere, vel iuris colore exornare studuerunt! Incredibile dictu est, quantum animi horum facinorum auctoribus adiunxissent, quantumque laboris ac molestiae perpercissent nostrae aetatis iureconsulti, mentibus persuasionem iniicientes, neque inter homines ius a ratione esse, neque inter gentes! Vobis A. A. si quidem hanc sententiam reiicitis, adstipulatores adstant omnis aevi populi, potentiorum iniuriam aliquando experti; adstant inter eruditos viri, cum iurisperiti, tum alii, quibus mentis aciem non praestrinxit, neque ex animo veritatis amorem extirpavit, insolitam doctrinam profitendi ac defendendi studium!

Haec licet censeri possint ad persuasionem sufficere; alia tamen non desunt, unde pateat, quantum a vero aberret adversariorum philosophia. Quando enim ius nullum esse dicunt, a ratione profectum eiusque lumine cognoscendum, universale ac necessarium, sed illud ex hominum voluntate et constitutione originem ducere affirmant, per experientiam discendum, a fato casuque dependens, aequo nobis errorem obiciunt. Non dicam, eos, quorum mentibus haec opinio inhaerescit, in varietate esse ad disensione, utpote quorum alii omne illud iustum existimant, quod ab imperante in civitate iussum est, ut pro lege valeat, utcunque illud sit comparatum; alii contra iuris nomine nil aliud dici volunt, nisi quod propter utilitatem suam civibus ita se commendavit, ut communi consensu, per mores et usus manifestato, receptum sit et confirmatum, ita ut iuris notio cum notione civitatis penitus coalescat. Utriusque doctrinae fautores de eo idem sentiunt, in praefinendo, quid iuri consonum sit, quid contrarium, nullas rationis esse partes, sed rem totam pendere ab hominum voluntate. In eo autem varietas spectatur, quod, qui priorem tuentur sententiam, ius e superiorum decreto repetunt, qui posteriorem, ex utentium arbitrio. Illi nil omnino iniustum dicunt, ita ut perfecta fronte asseverent, servitutem, etiam durissimam atque immanissimam, lege constitutam, iuri non esse contrariam; partem civium ab imperantibus, si ita videatur, fine ullo poenae merito, libertate, imo vita, posse privari, absque eo, quod iniuria iis illata intelligatur; nominis ac fidei renuntiationem, ab imperante civitatis creditoribus factam, vel minimum esse iniustum, aliaque similia. Hi vero ab hac sententia longe abeunt, neque illud, quod ab imperantibus constituitur, semper iustum esse concedunt, utique vero illud, quod, utut mancum atque imperfectum, communi opinione atque usu fuit probatum. Hoc si imperantium auctoritate immutetur, id non iuste factum prohibent, nisi propter causas politicas, quoniam non per legem, sed per auctum ingeniorum cultum, iuri emendationem accedere oportet. Non quidem utraque haec sententia animum aequaliter commovet atque indignationem excitat; utramque vero ratio pariter convellit, pariter labefactat. Si enim ius e civitate originem ducere quis statuat, simul statuat necesse est, inter eos, qui civitatis vinculo non iunguntur, ius esse nullum, puta inter gentes liberas, communi imperio non obtemperantes, inter naufragos, in locum desertum coniectos, aliosque similes; quos igitur nulla iuris lex prohibet, quo minus alter in alterum irruat, eius bona rapiat, ipsum sibi subiicit et in servitutem detrudat, ita

ut illud omne iuri consentaneum habendum sit, quod cuiusque viribus corporis posfit effici. — At vero non hac una difficultate premitur adversariorum doctrina. Primum enim abhorret, tum a communi hominum intelligentia, tum a certi iudicij ratione, iustum esse, quidquid populorum legibus fuerit constitutum, moribusve receptum. Utraque non patitur in certo hominum arbitrio vel fatorum vicisitudini commisum intelligi, determinare, an aliquid conveniat naturis, ratione praeditis et ad societatem instructis, imo liberis earum actionibus normam statuere, secundum quam sine repugnantia ab omnibus possint suscipi. Ab arbitrio enim et a fato nil proficiisci poterit, quod absolutum sit fibique per omnia constans, sine quo certa et indubitate iuris notio mente nequit cogitari. Non magis ab arbitrio hominum pendere potest, quid iustum sit vel iniustum, quam quid verum vel falsum, quid bonum vel malum. Haec omnia nisi internis rationis decretis regerentur, sed opinionum levitati esent commissae, de omni veritatis cognitione eset desperandum. Unde persuadere fibi quis poterit, calumniam, rapinam, caedem, stuprum, verbo omnia, quae aequalem omnium externe agendi libertatem suaque fibi salva habendi facultatem imminuunt, esse iniusta, si non alia eset ipsi iudicandi norma, quam imperantis arbitrium aut civium placitum? — Porro si adversarios quaeramus, unde civitati veniat facultas ius constitueri; quare, quod ita lego fuit iussum quodve per usum invluit, pro iure fit habendum; tandem quare cives obligatio teneat illud sanctum et inviolatum custodiendi; si haec, inquam, quaeramus, nemo est, qui apposite ad persuasionem respondeat. Si qui sint, qui de pacto loquantur, quo civitas intelligatur inniti, et e quo ius, tanquam e fonte, derivetur, hi inconstanter opinione se iactant et sicut manus virtus dare tenentur, quia si iuris sit obligatio pactum illud servandi, quod civitatis fundamentum est, prorsus necessarium est, ipsum quoque ius iam ante civitatem affuisse. Alii vero, qui tale pactum non agnoscent, opinionem suam neutiquam confirmant, neque rationem afferunt, quare magis legibus obtemperare quem oporteat, ab imperante latis vel a civibus per usum comprobatis, ita ut iis resistere sit iniustum, quam aliis, quae a latronum societate, in quam quis incidit, eiusve capite iubentur. Si quis velit, rationem in eo esse positam, quod lex virtutis iusti norma est, ideoque iniusta sunt, quae non honesta, molestiis implicatur longe diversi generis, quia probari omnino potest, illud, quod lex virtutis prohibet, non semper iniustitiam comitari. At haec missa facio, A. A. quia otium non est, vos per philosophos

rum dumeta circumduoendi. Causa nulla alia potest excogitari, nisi quod finis civitate propositus ratione confirmatur et tanquam iustus comprobatur, latronum vero societas, quippe iuri contraria, respuitur et damnatur. Si hic nullum rationi locum esse patiamur, desperata res est et frustrata disquisitione mentem fatigabimus. Si quando hoc argumentum etiam atque etiam premitur, plerosque eo tandem redactos videmus, ut iuribus in civitate constitutendis et custodiendis aliquid fundamenti loco subesse fateantur, quod aliquatenus fit necessarium atque absolutum; summa esse principia, omni loco ac tempore eadem, quibus ius ab iniuria posse internosci, eademque illa, unde ius omnibus aequabile proficiuntur; ut cuique homini, etiam citra civitatem quid esse concedant, quod suum dicat, cuiusque conservandi causa civitatem appetat. Iam vero necessarium illud atque absolutum, summa illa principia, illud cuiusque suum, nil aliud esse potest, nisi ius, ab ipsa ratione derivatum, quod se agnoscere oportere, frusta dissimulant adversarii, cum nulla res esse posse evidentior, quam rationem iuris esse matrem!

Audivistis, quaenam sit eorum de iure sententia, qui nostra aetate philosophicam iuris doctrinam repudiant. Si hanc illi comparemus, A. A., quam profesi sunt perfectissimi quique veteris ac recentioris aevi philosophi ac iureconsulti, vix dici potest, quantum differant. Ne quis illud in dubium vocet, qui omnium nomine causam defendat, unum excito MARCUM CICERONEM. Dicunt nostri aevi iuris doctores, omne ius per civitatem constitui, nullumque esse a natura. Longe aliter CICERO, qui eam dicit esse naturam cuiusque hominis, ut illi cum genere humano quasi civile ius intercedat; cui una dicitur esse veri lex, recta ratio, naturae congruens, diffusa in omnes, constans, sempiterna; unum etiam ius, quo devincta est hominum societas et quod lex constituit una, quae lex est recta ratio imperandi et prohibendi, orta simul cum mente divina. Huic omnium, quae in hominum doctorum disputatione versantur, nihil visum fuit praestabilius, quam plane intelligi, nos ad iustitiam esse natos, neque opinione, sed natura, constitutum esse ius. Hic sapientissimorum sententiam fuisse affirmat, legem neque hominum ingenii excogitatam, nec scitum aliquid esse populorum, sed aeternum quoddam, quod universum mundum regat imperandi prohibendi que sapientiam. Dicunt facultatem ius suum etiam per vim defendendi non a natura esse, sed per civitatem demum comparari. Alia omnia CICERONI visa sunt veriora, qui non scriptam dicit, sed natam legem, quam ex ipsa natura

arripuimus, hausimus, expressimus, ad quam non docti, sed facti, non instituti, sed imbuti sumus, ut si vita nostra in aliquas insidias, si in vim, si in tela aut latronum aut inimicorum incidisset, omnis honesta ratio eset expedienda salutis. Prora et puppis est nostris hominibus, ius omne illud habendum esse, quod imperantibus placuerit vel civium voluntate probatum, utcunque illud fuerit comparatum. CICERO vero naturam normam legis dicit et nil aliud ius esse existimat, nisi quod fit aequabile. Stultissimum esse pronuntiat putare, omnia iusta esse, quae scita fint populorum institutis et legibus. Legem bonam a mala nulla alia nisi naturae norma dirimi posse censet. Si enim populorum iusfas, si principum decretis, iura constituerentur, ius eset latrocinari, ius adulterare, ius testamenta falsa supponere, si haec suffragiis aut scitis multitudinis probarentur. Ista, putat, rerum natura verteretur, si ius ex iniuria lex facere posset.

Haec pro veritate iuris e ratione oriundi et rationis auxilio cognoscendi dixisse sufficiat. Verbum liceat adiicere de disciplinae figura eius principiis ac praceptis imposita, quod utiliter factum esse multi negant eius reprehensorum, rationibus tamen longe diversis opinionem suam confirmantes.

Hic primi nobis occurunt, qui malunt sermonis hilaritate risum movere, quam argumentationis severitate disciplinam impugnare. Hi, si quando sermo sit de Philosophica Iuris Doctrina, statim iocantur, aculeos emittunt et sale facetiisque incautos pelliciunt et risores delectant. Ut doctrina illa habeatur ludibrio, eam occidendorum hominum disciplinam contumeliose appellant et casus singulares, ad endandum difficiles, arte excogitas, ita festive enarrant, ut, quotquot ipsos audiunt vel legant, voluptatibus cumulati, risu tantum non emoriantur et manus in plaudendo consumant. Rideamus et nos, A. A., plaudamus etiam, in hilaritatis consortium venientes. Sublato enim cachinno, nil supererit quod disciplinae praestantiam posfit labefactare. Nulla enim est doctrina, unde non aliquid posfit repatri, quod ingenii lufibus exornatum, non ineptum appareat et nugatorium. Hoc in primis verum est, si summa principia singularibus rerum momentis sint adaptanda, quando fine labore eruuntur, quae dissentanea sunt et velut pugnantia inter se. An vero propterea existimabimus, disciplinam dignitate esse imminutam? Minime profecto! Quod enim argumentis tantum dilui potest, ioco certe risuque non disolvitur.

Alii, quibus non ita datum est iacere ac mittere ridicula, vel qui eorum usum in seria disputatione aspernantur, se rationibus non deslititos esse sibi persuadent, quibus Philosophicae Iuris Doctrinae utilitatem redarguant. — Ex his eas taceo, quae manifestam calumniam continent, nempe ideo tantum plerosque iuris philosophiam amare, quod ad iuris Romani investigationem, longe difficiliorem, fastidium habent. Haec ratio, uti ipsum Ius Romanum parum commendat, ita neque veri habet speciem. Philosophica enim Iuris Doctrina, si ad res privatorum hominum ac societatum, si ad domestica et extra-nea civitatum negotia variasque earum necesitudines referatur, non exiguae est amplitudinis, ita ut a iuris civilis ubertate non longe sit remota, et, si quidem non ex opinionis quadam levitate, sed ex certis rationis principiis derivetur atque exquiratur, subtile iudicium et diligentem contemplationem requirat. — Maius inmomentum habet, quod inconfiderate affirmant, argumentum Iuris Naturalis totum e iure Romano esse arcessitum, ita ut omnes fere huius notiones ac distinctiones in illud migraverint, etiam hac de causa disciplinae nomine indignum. Lubens concedo, multam Iuris Romani doctrinam in suam utilitatem convertisse philosophicae iuris doctrinae cultores; concedo, eos plures rerum definitiones inde esse mutuatos; longe vero abest, ut propterea confirmaverm, totam eam doctrinam nil aliud esse, nisi Iuris Romani epitomen! Primum observetis velim, A. A. GROTIUM nostrum, licet Romanorum sententias de eo, quod a natura iustum est, saepius probet, interdum tamē docere, eos a iuris principiis aberravisse, ita ut iam ipse conditor, in disciplinae primordiis, eam a Iure Romano distinctam esse monstraverit. Porro norunt omnes, nullum esse librum, iuris naturalis expositionem continens, utut caeteroquin parum commendabile, quo non e suis principiis derivetur doctrina, in multis longe diversa ab ea, quae Romanis placuit; quae principia ex ipsis rationis decretis enucleare et severa argumentatione, non Iuris constituti auctoritate confirmare, optimis plerisque, maxime inter recentiores, curae fuit cordique. Tandem Iureconsultorum Romanorum responsa omnino quidem arguunt mentem iuris naturalis scientia illustratam, at vero multum abest, ut ipsam philosophicam iuris Doctrinam ex suis principiis derivatam, ordine, ad disciplinae figuram accedente, tractaverint. — Licet autem verum esset, quod falso perhibetur, ius Naturale iuri Romano prorsus convenire; licet singula eius momenta e iure Romano essent arcessita, an propterea ejus studium utilitate careret? An ad gloriam ac dignita-

tem, ipfi Iuri Romano conciliandam, magis quid conferre potest, quam monstrari, illud aeternis rationis principiis amice conspirare!

Neque etiam magis utilitatem Iuris Naturalis convellit, quod eo tantum consilio primum fuit tractatum, ut fundamentum esset iuri, inter gentes describendo, quod sibi propositum fuisse ~~CROTUS~~ diserte fatetur. Verum omnino est, utilitatem philosophicae iuris Doctrinae in rebus, inter Gentes discipendis, esse manifestissimam, ita ut in dubium vix fuerit vocata, nisi ab iis, qui volunt, omne ius potentiorum voluntate determinari. Ius enim, ex quo Gentium controversiae dirimantur, nulla lege constitutum est. Pactiones et foedera, quotquot fint, normam non offerunt ac regulam, omnibus agnitam, neque ad omnia iuris capita pertinent. Usus denique et mores recepti saepius deficiunt vel dubitationibus dant ansam. Si igitur ius non esset, a ratione profectum, gentes etiam vinculo suo adstringens, multa, imo tantum non omnia, arbitrio ac libidini essent commissa. Imo hoc Gentes cattiores agnoscunt, ut pote quae, si enata fuerit controversia, rationibus ex iuris Philosophia de promptis, causam suam tueri solent vel inde colorem ac speciem ducere. Licet igitur Philosophicae Iuris Doctrinae condenda occasionem dederit iuri, quod inter gentes obtinet, describendi desiderium, longe tamen abest, ut dicamus, eam tantum vim exercere in externa gentium negotia, cum ad singulorum hominum ac societatum iura, ad res etiam domesticas atque internas civitatum, (de quibus dicere mihi non est otium), aequa pertineat.

Hic vero adversarios omnes exsurgere video, pertinaciter negantes, ius naturale privatum inter ac ius civile, vinculum quocunque intercedere! Utrumque ita toto coelo diversum esse clamitant, ut opposita magis et contraria cogitari non possint. Habet hic ardor, A. A. quare illi ignoscamus. Fuerunt enim inter ipsos Philosophicae Iuris Doctrinae cultores, qui aliquando incaute perhibuerint, nil in civitate iustum esse, nisi quod e rationis principiis certa argumentatione posset derivari; omne vero illud, quod ab hominum arbitrio profectum est, dubiae esse auctoratis et iuris nomine indignum. Caveamus A. A. ab horum opinione! Ratio enim non omnia ita determinavit, ut nil sit reliquum, quod ab hominibus, pro morum atque opinionum, pro regionis ac coeli diversitate, diverse constituatur. Quod autem ita, vel utentium voluntate, vel imperantium ius-
su, constituatur, si tantum rationis leges non evertat, quo minus ius quoque dicamus, hominibus sancte colendum atque observandum, nil prorsus obstat. Ra-

tioni enim omnino convenit, imo postulat illa; ut per societatem civilem plena sit omnibus iurum securitas, cui habendae cum sola rationis de iure praecepta non sufficient, legum constitutarum praefidiis atque institutis civilibus omnius est opus. Hisce igitur obsecundare iustum esse, imo necessarium, temere negatur. — Licet vero ipsi ita iuris civilis auctoritatem tucamur, pacatos tamen et consentientes adversarios non habemus. Negant enim illi aliquam rationem philosophicae iuris doctrinae in civitate esse habendam illudque cum iure civili quodammodo cohaerere. Negant iuris naturalis doctrinam causam esse et effectoricem legum civilium; negant illam esse normam, ad quam hae componendae sunt ac dirigendae; negant harum iustitiam ex illa dignosci; negant illam harum intelligentiae, interpretationi et complemento inservire! — Volunt leges civiles non a iure naturali, tanquam de fonte, manavisse. Fateor veterum populorum instituta, usus, leges, philosophica iuris doctrina, plene elaborata, esse antiquiores; sed neutquam affirmo, insigniora et evidentiora eius praecepta priscos civitatum magistros ita latuisse, ut eorum adiumento uti non potuerint in legibus condendis. Si primas iuris naturalis enuntiationes ignoravissent, cuinam fatorum felicitati esset tribuendum, omnium populorum leges, licet saepius varietatem in iis monstrarent, quae ratio hominum arbitrio constituenda reliquit, in summis tamen iuris praeceptis egregie conspirare, ita quidem, ut, si quando ab iis deflexerint, prudentiorum ac sapientiorum virorum reprehensionem non effugerint. Unde, quaequo, haec in legibus omnium populorum per omnem aetatem convenientia, si ipsis, quid sit iustum, quid iniustum, secundum aeterna rationis decreta, five clarissimus, five obscurius, non constitisset; e quibus igitur leges constitutas, quatenus non totae ab arbitrio pendent, tanquam a matre, originem certo repetunt? — Si quidem Philosophiam Iuris Doctrinam matrem Iuris Civilis agnoscamus, eandem, tanquam huius in posterum constituendi atque emendandi normam, recusare non licet. Recusant quidem adversarii, qui volunt, omnia ad solum arbitrii vel utilitatis modulum, anicipitem eum ac fallacem, dirigenda esse et exigenda. Si horum hominum doctrinam adoptavissent legislatores, an servitus, quae olim apud maiores obtinuit, abrogata fuisse; an temperata patris potestas, unde superbiam fibi sumebant Quirites? An repudiatae fuissent leges istae, quae vetabant aliam religionem suscipere, nisi quam assumerant ii, qui potestate valebant imperiumque exercabant, quaeque omnibus, qui ad alia sacra demigraverant, de iure suo detrahebant? Au ab arbi-

trio atque utilitate, num vero ab agnita et exculta philosophica iuris doctrina, sperare licet, fore ut vitia diluantur, quibus multae leges nunc etiam sunt insignes? Si quis in dubium vocet, velim, attendat, quantum a iusti principiis aliena sint, quae apud multos populos de peregrinorum iure invaluerunt. — Unde vero, quae insta sunt, ab iniustis dignoscent legislatores? Illud tantum rationis ope agnitisque de iure praexceptis fieri posse, ex iis, quae monui, ulti efficitur. Hoc non audiunt adversarii, qui vero alias leges laudant, alias reprehendunt, absque tamen eo, quod laudem vel reprehensionem sustentent argumentationis subsidiis, ita ut incerta sit norma, quam sequuntur, omnisque de eius veritate disquisitio. — Quod superest, pernegant, philosophiam iuris civilis intelligentiam et interpretationem adiuvare eiusque esse complementum. Hoc reliquae eorum doctrinae omnino consonum est, at, meo arbitratu, veritati aequa adversum. An mihi necesse erit, A. A. vobis probare, iuris philosophiam proficere ad intelligendum atque interpretandum ius constitutum, cum, si non illud consequutus sim, ut vobis palam constet de utriusque doctrinae necessitudine, nullum ex disputatione mea fructum percepi. Timeo, ne vobis audiendi fastidium crearem, ea repetendo et recoquendo, quae iam dicta sunt et argumentatione probata, eo quidem magis, quod adversarii non aliis utuntur rationibus, nisi, quae ponderatae nobis iam sunt et propter levitatem reiectae. — Ubi vero sermo est de philosophica iuris doctrina tanquam iuris civilis complemento, fortissime reclamant noluntque doctrinam illam huius iuris esse subfidium. Res gravissima est, A. A. ideoque omnino digna, ut eam diligenter excutiamus. Si quidem quaeramus ex adversariis, unde velint legum constitutarum inopias succurri, non gravate respondent, at parato utuntur consilio, perhibentes, aequitatem fontem esse, unde in legum silentio praesidium est petendum. Philosophica enim iuris doctrina maxime anceps est et incerta; alia enim Gallis est, nempe pars disciplinae moralis; Germanis alia, a disciplina illa, argute magis, quam vere distincta. Aequa certant eius fautores, five in enucleandis doctrinae principiis ingenium exerceant, five in singulis eius momentis investigandis laborent ac desudent. Mirum est, ipsos non videre, quam lubrica sit haec defensionis ratio. Non regeram, ea doctrinae principia, quae vim et effectum in res hominum ac negotia fortiuntur, adeo recondita non esse et abstrusa, sed, uti viris sagacissimis fuit observatum, adeo manifesta, ut seria iudicij diligentia de iis omnino posit confare, et magis ex indice ac summa,

quae per philosophorum disputationes invenitur, quam ex ipsis differendi subtilitatibus, iura civilia complementum suum accipere. Evidem hoc non multum urgeo, quoniam notio aequitatis, si a iuris notione diversa cogitetur, sit longe incertissima, ideoque vel minimum apta, ut, deficiente lege civili, tanquam norma rebus iudicandis inserviat. Ferunt hominum animis informatam esse eius notionem eamque certis regulis posse describi. Si vero ad aequitatis definitiones, quotquot propositae fuerunt, animum advertamus, vix dici potest, quantum iis infit, quod dubium sit et fluctuans. Ius naturale in eo positum est, ut cuiusque externe agendi libertas cum libertate aequali aliorum omnium posset confistere. Haec notio perspicua est, accurata et ad usum loquiles. Aequitas vero, utcunque mente concipiatur, semper quid habet incerti, ita ut cerea sit, vel in odium flecti, vel in favorem, metumque iniiciat, ne arbitrio ac benevolentiae iudicium committatur. At vero A. A. licet tanta esset aequitatis evidentia, ut nil supra, an ideo creditis, eam ius naturale de loco suo posse movere et verum legum constitutarum complementum agnosci? Hoc non patitur aeterna ratio, quae, tacente lege civili, sola est norma, secundum quam causae recte iudicentur et lites dirimantur. Si quidem legi naturali quid additum fuerit vel detractum per legem constitutam, huius rei ea est vis, ut cives obedientia deceat. In quantum autem iuris eius vigor per legem non sit temperatus, luce clarius est; sanctam atque inviolatam stare oportere eius auctoritatem. Iudex igitur, qui in legum constitutarum silentio decernendi regulam aliunde repeteret, is legem, omnium primam, toti humano generi communem, negliceret ac violaret.

Iterum iuvat recentiorum sapientiam cum *ciceronis* doctrina conferre. Illi in Philosophicam Iuris Doctrinam insultant, eam fibilis explodunt et velut rem incertam contemnunt, reiiciunt, aspernantur, et iuris scientiam tantum repetunt ex legislatorum scitis atque utentium placitis. TULLII non audiunt monitum, non e Praetoris edicto, neque duodecim Tabulis, sed prorsus ex intima Philosophia, hauriendam esse Iuris Disciplinam; stirpem iuris a natura esse repetendam, qua duce, omnis, disputatio est explicanda. Respuunt illi Iuris Naturalis auctoritatem in civitatibus. Hoc *ciceronis* doctrinae prorsus repugnat. Hic enim rationis legem ius esse asseverat, five scripta sit uspiam, five nusquam; eamque non tunc demum incipere esse legem, quum scripta est, sed tunc cum orta est; ortam autem simul esse cum mente divina. Aequitatem

in Iuris locum substitutam volunt illi, ut legum silentio subveniatur. Hic obstrepet etiam cicerro eosque graviter admonet: „Omnia incerta sunt, quum a iure discessum est, nec praestari quidquam potest, quale futurum sit, quod positum est in alterius voluntate, ne dicam libidine.“ Hoc autem praecepto equidem nescio, A. A. imo dubito vehementer, an quidquam verius atque utilius in omnibus ciceronis scriptis nobis occurrat!

Dicta a me causa est A. A. Eius defensionem non alio confilio suscepī, quam ut disciplinam, cuius fine humani generis tutela omnis continetur, ab immerita despectione vindicarem. Evidem novi alias etiam fuisse, qui idem egerint; sed non ideo a proposito defistere mihi placuit. Ut enim omnis rei variae sunt species, ita non una quoque via veritas obtinetur. Non etiam metuo A. A. ne in ipsa CROTII patria Philosophicae Iuris Doctrinae studium intereat, cum Iureconsulti Philosophi in patria nostra illud egerint, ut proximis abhinc annis in eius principia singulaque etiam momenta labor egregius fuerit collocatus. His me adiungere volui, ut, quantum possem, veritatis studium adiuvarem. Illud in votis habeo, ut fibi perfuasum habeant nostrae fententiae defensores, cuius rei eximiae nil magis obesse, quam laudes immoderatas et disciplinae cuiusque dignitatem eo non evehi, quod alia deprimatur. Si quis forte suspicaretur, me, Historicae scholae odio ductum, Iuris philosophiae dignitatem vindicavisse, is quam longissime a veritate aberraret. Non tantum pro Historico Iuris Romanii studio ipse aliquando publico decertavi, verum etiam Ius illud in scholis meis Historica ratione aliquando exposui. Vellem praesentes adesent pauci illi, quos tunc discipulos habui, eheu, non omnes amplius in hoc orbe superstites; vellem testimonium perhiberent, an Quiritium Iura, minori cura ac diligentia, quam Naturalia, tractaverim! Aliis iuris Doctoribus placeat, velut avium rixosarum lanistas, discipulos incitare ad omnia ea contemnenda ac hanc eranda, quae non ipsis sunt in deliciis. Satius esse existimo inde mihi gloriam sumere, quod iuvenes, in disciplinam mihi traditos, ad ingenuum iurisprudentiae studium exerceam; ut omnem animi egestatem et infirmitatem ingenii fugientes, in totam iurisprudentiam incumbant, et, una cum Philosophica Iuris Doctrina, Romanorum sapientiam et legum, usu nunc etiam vigentium, peritiam, pari honore habeant, utque in quavis harum partium sint multi! Ita, si quid video, bene conformata Doctrinarum et Patriae commodis egestie sunt consulturi.

Reliquum est, ut Academiae fata per annum magistratus mei enarrem et successorem, e Facultate Medica mihi ab augustissimo Rege designatum, Rectorem Magnificum renuntiem.

Faustis avibus dignitatem capessivi. Florebat Academia difcentium numero et docentium alacritate. A gravi tamen iactura, quam experta fuerat ex morte MUNTINGHII et UILKENSII, qui inter clarissima, uti huius Academiae, ita orbis eruditii, lumina iure merito censebantur, nondum se se receperat. Mox autem utrumque nobiscum dolere quidem non defit iuventus, disciplinarum amore capta, at lectiones, quibus eius commedis inserviebant, non amplius desideravit, Praeceptores nacta CLARISSUM et VAN HALLIUM, utrumque Profesoris ordinarii munus solenniter auspicatum. — At ne tunc quidem temporis omnia laeta nobis acciderunt. Inter Curatores enim fuerunt, fuerunt inter Profesores, qui iam anni academici initio dolores experti e cari capitibus interitu. Hasce vero clades inter eas, omnium consensu, acerbissimam dicendam esse puto; quam pausus est SYPKENSIIUS e morte dilectissimae coniugis, marito, parentibus, liberis, pariter lugendae. — At, si quidem e rebus domesticis dolor nonnullis fuerit enatus, de publicis fuit una omnium laetitia, quando, ante feriarum aestivarum initium, plures academiae cives ab ea discedebant, ad partes suas in civitate obeundas rite confirmati. Neque aliae de-erant lactandi rationes. A metu enim, qui nos invaserat, ne ex ordine nostro discederet et ad aliam academiam transtiret vir clarissimus, collega noster coniunctissimus, PETRUS HENDRIKSZ, a metu, inquam, illo feliciter respicavimus; qua de re Academiae nostrae impense gratulor. — Porro memorandum, non tantum instrumenta, quae Mathematicae, Physticae, Agriculturae, docendas inserviunt, iam commodius, quam antea, esse disposita, verum etiam Mechanices et Chemiae studio incrementa accessisse. Quando enim Regi augustinissimo satias fuerat virum, hasce disciplinas non tantum cum iuventute academicia communicari, verum eas, ad artes utiliores accommodatas, iis etiam expoundendas esse, qui tales exerceant, Chemiam ea ratione docere in se recepit STRATINGHIUS, vir clarissimus; ad Mechanicam vero in opificum utilitatem trandendam, Lectoris titulo, designatus est vir doctissimus, GIDEON JANUS VERDAM, cuius nomen in Academiae nostrae annalibus iam memoratum legi-

tur, quoniam in certamine literario anni MDCCCXXIII praemium reportavit, ex iudicio nobilissimae Facultatis disciplinarum Mathematicarum et Phyficarum.

Hactenus vix aliquid acciderat, quod nobis doloris esse poset causa. Brevi vero mutata fuit rerum conditio et tristissimum mentibus haesit futuri temporis augurium. Omnes causam novistis, A. A. omnes lugetis cladem, urbi nostrae illatam! A mensis enim Iulii initio, primum multi e tenuiorum civium ordine, dein etiam alii, febribus insolitae vehementiae correpti fuerunt; ita quidem, ut vix ulla domus intacta remanserit. Tristissima erat civitatis facies. Crescere et in dies augeri morientium numerus; crebra nobis in plateis funera occurrere; occurrere feretra, humeris vicinorum imposita, qui, ex morbo nondum recreati, triste pondus aegre portabant, metuebantque, ne dies iam instaret, quo ipsius exsequiae pararentur, quas nulli ducerent, nisi febricitantes et macerati! Meum non est enarrare, qua via, quibus remediis, quoque humanitatis ardore, cum a Rego Augustissimo, tum a Magistratibus, provinciilibus simul atque urbanis, et miseris aegrotantibus, saeva paupertate pressis, et restituendae per urbem sanitati fuerit prospectum. Mihi enim fata tantum Academiae sunt memoranda. — Praelectionum initium solito tempore fuit nuntiatum. Tenuis aderat auditorum numerus; multis urbem fugientibus et morborum periculo se committere detrectantibus. Multi Professorum in lectis decubuerunt, febrium impetus difficulter sustinentes, munere suo obeundo prorsus non idonei. Eorum, qui artem medicam callebant, plerique aegrotantibus opitulabantur, sive publica auctoritate ad illud rogati, sive medicorum, morbo correptorum, vices laudabili benevolentia in se recipientes, omnes de misericordia afflictisque civibus meritisimi. Quando res ita fese habebant, Academiae commodis magis consentaneum Sententia fuit visum, lectiones per mensem intermittere, simulque Regem Augustissimum precibus adire, ut, quae hodie celebrantur solennia, in tempus magis opportunum differre liceret. Rex votis nostris annuit et diem Orationi habendae constituere amplissimis Curatoribus mandavit. Quando vero febriam vis nondum frangebatur, iterum Senatus lectiones differri iusit, adeo ut initio demum mensis Decembris ad solitos labores simus reverxi, quos, utinam, sine tristi aliqua calamitate ad finem perducere nobis concedat Deus Optimus Maximus! Iam imminuta morborum saevitia, paulatim revertentem videmus studiem doctrinarum iuventutem et hanc feliciter eius institutioni vacare nobis licuit. Iam si respiciamus, quid e

morborum; quibus urbis incolae vexati fuerunt, in Academiam detrimenti venerit, est, quod summo Numini maximas gratias habeamus. E Curatoribus et e Professoribus vix quisquam integra et non intermisca corporis sanitatem fuit gravissus. De morbi apud malitos exitu dubia fuit atque anceps medicorum spes et incerta simul omnium exspectatio, qui rebus nostris favebant. Iam cuncti mortis periculum effugerunt, ii non tantum, qui vegeto aetatis tempore florent, verum etiam, qui senectutem iam attigerunt. Utinam nemini collegarum lacrimas movisset inopinatus eorum decessus, quos prae aliis caros habebant! Utinam neque GRATIANA noster, neque TEN BRINKIUS, quisque dilectissimae coniugis mortem ploraret! Civibus nostris Academicis insigniter pepercit mortis violentia. Licet enim plures cum morbo sint conflictati, imo nonnulli in extremum vitae discriminem adducti, quatuor tantum, per totum, idque longum et periculosisimum, magistratus mei tempus, mortem occubuerunt. Horum primus ADRIANUS HUISINGH NOORMAN, iam tempore hiemali, de vita decepit, praceptoribus triste sui desiderium relinquens. Tres reliqui, FRANCISCUS HENRICUS FOCKEMA, BERNARDUS DUNCKER et NICOLAUS BENNES BENNEMA, domi apud parentes, non in hac nostra civitate, vitae finem attigerunt; duo priores ineunte aetate et non procul a studiis academicis initio; tertius annis aliquantum prosector et academiam linquere paratus, medicinae studium feliciter prosequuntus, cui ars non profecit, quam in aegrotantium salutem exercere iam meditabatur.

Fata Academiae per tempus luctuosissimum, quo ipfi Rector praefui, ita pro viribus enarravi, prospera simul et adversa! Faxit Deus ut annum, quem iam sumus ingressi, lacta tantum afferat!

Iam victoribus in certamine literario praemia sunt tradenda, dia nimis ipsis exspectata. Sunt autem CAMPENIUS HERMANNUS COCKINGA et MENTO ANTONIUS HENDRIKSZ, Groninganus uterque, quorum alteri a facultate Iuridica, alteri a Medica, praemium fuit asignum; porro ANTONIUS HENRICUS PAREAU, Rheno-Traiectinus, a facultate Theologica victor renuntiatus, uti et, cui secundi honores obtigerunt, WIBRANDUS VERWHEY, Franequeranus. Antequam illud agam, te rogo, vir Clarissime, qui Senatui academia ab actis es, ut praelegas iudicia singularium Ordinum de commentationibus, quae ipsis fuerunt oblatae.

(Praeleguntur iudicia singularum Facultatum.)

Tristia mittantur; restant nunc laeta. Juventus
 Accedit victrix, praemis iusta potens.
 Nobilis haec pugnae species, generosa palaestra est,
 Qua vigor ingenii perpetuusque labor
 Victori laudemque parant laurique coronam,
 Dum plaudunt Superi Pieridumque chorus.

Tu mihi, qui primus venis in certamine victor,
 Cui risit blando lumine fausta Themis!
 Accipe felicis radiantia signa laboris,
 Altera, quae cingunt, florida ferta caput!
 Tu poenas, olim Nemesis quas dura poposcit,
 Tractas, et seculo quae meliore vigent.
 Ferrea Romuleas placeat lex Remmia genti
 Quaque semel fronti litera inusta manet.
 Mitior haec actas reiicit! Quae tempora delent;
 Non decet haec hominum fronte notata legi!
 Perge iter incoptum, decus et tu gentis avitae
 Sincero Themidos pectore sacra cole!

Castra tenens alius venis huc Epidauria miles,
 Fortia signiferi gesta Parentis amans.
 Praemis virtutis nunc accipe, moxque maiora
 Ense salutari, prosper in arte, pete!
 Pulchra iuuent aliens! Fixos corpusque virile
 Allicant oculos foemineusque decor!
 Attonitos vivi teneant et Apollinis artus
 Deque coruscanti marmore ducta Venus!
 Haec aliens capiant! Sed fortibus arte medendi
 Prae pulchris, quae sunt utiliora, placent.
 Quem dolet abnormem lacrymosa puerpera foetum,
 Hunc fovet ignito, qui valet arte, finu.

Non grave portentum, madidum non sanguine monstrum,
 Horrorem medico fert fremitumque parit.
 Hinc oritura salus miserie! Libitina, figuris
 Territa monstrosis, est petitura fugam!
 Nobile tu nomen multisque insigne triumphis
 Doctrina illustres artificique manu!

Tertius accedis, meritos petiturus honores,
 Aurea doctrinae praemia, victor, habe!
 Quae per Idumaeas sonuerunt tristia palmas
 Davidis querulis carmina fusa modis;
 Quos quondam cantus ferventior audiit Eos;
 Quos citharae stupuit Graecia prisca sonos;
 Quos de nimbofis excepit rupibus Arctos,
 Clangores tremulac, vate canente, lyrae;
 Hos labor est conferre tibi dulcisque voluptas,
 Lautis quem dapibus Musa benigna fovet!
 Perge viam, viridi frontem iam ornatae corona,
 Doctrinaeque refer nomen amore Patris!

Quartus ades pugnae consertor et alter ab illo,
 Victrix cui cesfit palma, negata tibi.
 Non animum haec minuat, decoris quae plena, repulsa!
 Laus est cum validis conferniase manum.
 Bis tibi praeripuit laurum modo fortior unus,
 Mox aliam intrepido tertia pugna dabit!

Classica pulsa sonant. Instant nova praelia. Gnavos
 Musa vocat. Cupidis laudis arena patet!
 Surgite, doctrinae pectus quibus ardet amore!
 Musa vocat gnavos; classica pulsa sonant!

Hoc supereest unum. Rectorem, clare STRATINGHI,
Nunc te proclamo et prospera ouncta precor.
Accipe tu clavum; fausto tu fidere puppim
Dirige! Sit nautis aura benigna comes!
Salve iterum Rector! Tibi fit felicior annus,
Musarum et valeat, te duce, nostra domus!

